



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 368. De mansis traditis in villa Gadershus in pago Logne.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

§. 368.

Tradidit marcuardus II mansos et II mancipia pro filio suo godfrido in *gaderfhus* (o) et I iurnalem.

et gubernante Corbeiam Bouone II.

§. 369.

Tradidit nothradus II mansos et III mancipia in *adalingerefthorpe* (p) alterum pro patre suo fritherico et alterum pro patruo suo luituario.

§. 370.

(o) *Gaderibus* villa erat, Registro Sarachonis teste, in pago *Logne*. Intelligendus ergo videtur vicus *Gunterjen*, in principatu Gottingensi intra diocesin Adelipfensitum.

De villa Gaderibus in pago Logne

(p) Huius *Notbradi* eiusque traditionis hactenus consulto mentionem nullam iniicere volumus, ne omnia vno loco effunderemus, quae facerent ad confirmandam sententiam nostram de origine et Walbecensium et Supplinburgicorum et Anhaltinorum comitum, iam alibi ex parte tractatam. Vt ergo primum de situ villae *Adalingerefthorpe* mentem aperiamus nostram necessum est. Sita illa erat, Sarachone abbate teste, in pago *Norththuringi*. Hunc in ducatu Magdeburgico et principatu Halberstadenfensi existisse, asseruimus supra. Putamus itaque, per villam *Adalingerefthorpe* significari vicum *Algerisdorp*, haud procul ab oppido Schöningen intra praefecturam Scheningensem eamque principatus Wolferbutelenfensitum. Concludimus autem ex hoc situ villae, patrem ac patruum *Notbradi* ad progenitores Comitum Sommerfchenburgicorum eorumque consanguineorum spectasse: quia iidem domini, quos illorum agnatos nominare oportet, in eadem regione bona sua hereditaria passim possedere, vti iam supra §. 188. demonstrauimus. Cum vero in tota genealogia, l. c. adducta, nullum dominum nomine *Notbradum* deprehendamus, posset quis in dubium vocare, *Fritthericum* et *Luitbarium* eidem adnumerandos esse familiae. Familiae enim illustres nomina progenitorum suorum in gente sua libentes conseruauerunt. Sed salua res erit, simulac res antiquissimas consideramus, et *Vitam B. Lutgeri*, quam *Altfridus* composuit, euoluimus. Ea propter putamus, *Fritthericum* et *Luitbarium* ad gentem Sommerfchenburgicam referendos esse, eo quod eorum filius ac nepos appellatus est *Notbradus*. Villam *Uffenleuam* in eodem *Norththuringi* pago, et non procul ab *Adalingerefthorpe* villa reperiendam, ad ducem Ostfalorum *Hessi* spectasse, patet ex traditionibus nostris §. 104. Nullos reliquisse filios eundem ducem, eumque hereditate inter filias distributa monasterio Fuldensi nomen dedisse, demonstrauimus supra testimonio scriptorum aetatis aequalis. Cum autem dux ille fuerit et potentissimus et locupletissimus dominus, probabile est, eundem ducem quoque tenuisse villam *Adalingerefthorpe*. Porro inter coheredes ducis *Hessi* erant *Abbo*, *Richbertus comes*, atque *Otto comes*, a quibus §. 188. deduximus comites Supplinburgicos atque Anhaltinos. *Ottone* vero fuisse comitem patrem *Frittherici* et *Luitbarii*, statuimus. Quamuis autem nullum exster documentum, e quo comprobari possit, dictum *Fritthericum* iam possedisse bona, in *Adalingerefthorpe* sita; probabile tamen id nobis videtur. Ea enim, quae *Notbradus* tradidit, procul dubio fuerunt bona hereditaria. Haec *Notbradus* a patre suo accepit. Haec itaque *Fritthericus* iam tenuit. Nonne ergo magna cum veritatis specie dicitur, *Fritthericum* et *Luitbarium* fuisse filios cuiusdam domini? domini, inquam, qui eodem in tractu bona hereditaria possedit, quique inter coheredes ducis Ostfalorum *Hessi* refertur. Nonne ergo probabilissimum erit, Sommerfchenburgicam atque Anhaltinam gentem per feminas descendisse a celebratissimo Ostfalorum duce *Ascone*? Sed in istas monendo, familias nostrae Saxoniae illustres lubentissime nomina progenitorum suorum tam agnatorum, quam cognatorum, inuicem conseruasse. Agedum expediamus breui hanc tragulam. De agnatis familiae *Anbaltinae* illud iam supra adfirmuimus. Cum enim in schemate genealogico *Anbaltinae* stirpis, supra §. 188. producto, tot *Otones* et tot *Abbones* seu *Adelbertos* deprehendamus, verisimillimum exinde erit, *Abbonem* atque *Ottone* Principum eorum factores fuisse. Nunc de cognatis eorum id ipsum quoque ostendi et comprobari decet. Cum enim dixerimus

Cec e

xerimus